Exempli gratia.



Reperantur ambo superiora schemata & moueatur B. semper & vbique eadem seu æquali velocitate qua cœpit moueri β initio quum est in α. deinde primo momento procedat B. ab A in C, & eodem momento procedat β ab α in γ proportionaliter: erit numerus definiens A C logarithmus lineæ, seu sinus γ ω. Tum secundo momento promoueatur B à C in D, & eodem momento promoueatur proportionaliter β à γ in δ. erit numerus definiens A D logarithmus sinus δ ω. Sic tertio momento procedat æqualiter B à D in E, & eodem momento promoueatur proportionaliter β à δ in ε, erit numerus definiens A E logarithmus ipsius sinus ε ω. Item quarto momento procedat B in F, & β in ζ, erit numerus A F logarithmus sinus ζ ω. Atque eodem continuò seruato ordine erit (ex definitione superius tradita) numerus A G logarithmus sinus η ω. A H logarithmus sinus ι ω. A I logarith. sinus K ω. A K logarith. sinus λ ω. & ita in infinitum.

Corollarium.

Vnde sinus totius 10000000. *nullũ seu* 0 *est logarithmus: & per consequẽs, numerorũ maiorũ sinu toto logarith. sunt nihilo minores.*

Quum enim ex definitione pateat, quod à sinu toto decrescentibus sinibus, à nihilo accrescant logarithmi, idcò contrà crescentibus numeris (quos adhuc sinus vocamus) in sinum totum, scilicet in 10000000. decrescant, in 0, seu nihilum logarithmi est necesse. Et per consequens numerorum crescentium vltra sinum totum 10000000. (quos secantes aut tangentes, & non amplius sinus vocamus) logarithmi erunt minores nihilo.

Itaque

Itaque logarithmos sinuum, qui semper maiores nihilo sunt, abundantes vocamus, & hoc signo †, aut nullo prænotamus. Logarithmos autem minores nihilo defectiuos vocamus, prænotantes eis hoc signum. ——

ADMONITIO.

ERat quidem initio liberum cuilibet sinui, aut quantitati nullum seu 0, pro logarithmo attribuisse: sed præstat id præ cæteris sinui toti accommodasse: ne vnquam in posterum vel minimam molestiam parturiret nobis additio & substractio eius logarithmi in omni calculo frequentissimi. Cæterùm etiam quia sinuum & numerorum sinu toto minorum frequentior est vsus: eorum igitur logarithmos abundantes ponimus: aliorum verò defectiuos, etsi contrà fecisse initio liberum erat.

DE LOGARITHMORVM propositionibus.

CAP. II.

Propositio 1.

PRoportionalium numerorum, aut quantitatum, æqui-differentes sunt Logarithmi.

Vt proportionalium sinuum, scilicet γ ω, qui se habet ad ε ω, vt ι ω. ad λ ω, Logarithmi respectiuè sunt numeri definientes A C, A E, A H, & A K, (vt per def. 6. patet.) differunt autem A C, & A E differentia C E; atque A H, & A K differentia H K. Sunt autem ex 1. def. & suo corollario C E, & H K æquales: æqui-differentes igitur sunt logarithmi præfatorum sinuũ proportionalium. Et ita in omnibus proportionalibus.

Nam quas affectiones & symptomata Logarithmi ab ortu & genesi sua acquisiuerint, eas imposterum retineãt, est necesse. Ab ortu autem & in genesi sua imbuuntur hac affectione, & hæc lex illis præscribitur, vt sint æqui-differentes, quum